

aequalis illud usurpasse reperiatur synonymi *λογοποιος*. Quo nomine ter apud Herodotum (II, 143. V, 36. 125) Hecataeum Milesium dici constat neque poterit dubitari, quin non alio sensu id accipiendum sit, quam quo VI, 137 Hecataeus *ἐν τοῖσι λόγοισι* rettulisse aliquid narratur. Nimirum *λόγους* uel *λόγον* Herodotus historias suas dicere ita consuevit, ut ne *Ἀσσυρίους* quidem uel *Λιβυκούς* uel *Αἰγυπτίους λόγους* alios intellexeret, nisi quae ipse de Assyriis Libycis Aegyptiis uel tradidit uel traditurus fuit<sup>1)</sup>. Sed cum neque ipse neque qui ante eum scripserunt omnia ex ore hominum exceperint, angustioribus finibus Kruegerum (ad Dionysii Halicarnassensis historiographica p. 496) *λογοποιῶν* siue *λογογράφου* notionem circumscripsisse patet, quod eum interpretatur qui quae fando tradita accepit conscribat: quamquam prudenti iudicio Creuzeri errorem spreuit, qui fabularis historiae scriptorem intellexerat (*Historische Kunst der Griechen*<sup>2</sup> p. 140. 265). At de fabula cum *λόγος* uocabulum non secus quam nostrum 'Geschichte' usurpetur iam apud Herodotum (I, 141), accidit ut idem etiam Aesopum *λογοποιόν* nuncuparet (II, 134) notione uocis leuiter inflexa.

At enim quam adhuc stabiliuimus *λογοποιός* uocis uim, eam Curtius in Thucydidos *λογογράφους* conuenire infitatur, sed Kruegerum secutus apud Atticos utramque uocem quicumque pedestri sermone scripserit frequenti usu significare contendit. Quod ego uerum esse ita nego, ut neque eorum locorum, quos ille ex Atticis scriptoribus attulit, neque ceterorum,

1) I, 184 *τῶν ἐν τοῖσι Ἀσσυρίοισι λόγοισι μῆμην ποιήσομαι*. II, 161 *τὴν ἐγὼ μεζόνως μὲν ἐν τοῖσι Λιβυκοῖσι λόγοισι ἀπηγήσομαι*. II, 99 *μέχρι μὲν τούτου ὅς τις τε ἐμὴ καὶ γνώμη καὶ ἱστορίη ταῦτα λέγουσά ἐστι· τὸ δὲ ἀπὸ τοῦδε Αἰγυπτίους ἔρχομαι λόγους ἐρέων κατὰ ἤκουον, προσέεται δὲ αὐτοῖσι τε καὶ τῆς ἐμῆς ὄψιος*. Nam *Αἰγυπτίους λόγους* ne quis ab Aegyptiis potius quam de Aegyptiis traditos explicet, uetat quod duas eorum partes perspicue distinguit Herodotus: c. 142 *ἐς μὲν τούτονδε τοῦ λόγου Αἰγύπτιοι τε καὶ οἱ ἱερεῖς ἔλεγον* cll. c. 146 extr. *ταῦτα μὲν νῦν αὐτοὶ Αἰγύπτιοι λέγουσι* et c. 147 in. *ὅσα δὲ οἱ ἄλλοι ἄνθρωποι καὶ Αἰγύπτιοι λέγουσι ὁμολογούντες τοῖσι ἄλλοις κατὰ ταύτην τὴν χώραν γενέσθαι ταῦτ' ἤδη φράσω· προσέεται δὲ τε αὐτοῖσι καὶ τῆς ἐμῆς ὄψιος*. Quibus perspectis ilico concidit fundamentum, quo nixus C. G. Nitzsch (n. musei Rhenani u. XXVII p. 227 sq.) *λόγους* Herodoti narrationes esse continua serie traditas adfirmavit.